

collis Cerro Sant-Ana prope Chiclana cum Eriophaca satis copiose. Febr. c. fl. et fr. jun. (Cañarejo Hisp.)

511. *Lychnis vespertina* Sibth. Boiss. 95. — Prope oppidum Chiclana in colle Sanctae Annae et in sepibus prope Terez. Febr. florens.

512. (et 635.) *Thlipsocarpus Baeticus* Kze. n. gen. et spec. e subtribu Hyoseridearum. Char. gen.: Capitulum multiflorum. Involucrum duplex, interius polyphyllum, seriale, erectum. exterius 8—9-phyllum, brevius, laxum, patulum. Receptaculum epaleacem, areolatum. Achaenia exteriora (bi-triserialia) compressa, truncata, scabra, margine hispidula, in medio lateris exterioris 2—3-carinata, interiora (cassa?) cylindrica, tenuiora, apice attenuato subrostrata, angulosa. Pappus radii et disci uniformis, flavescens, biserialis, interior paleis 5 longis, apice in setam scabram productis; exterior multisetus, setis brevioribus, scabris. (Ligulae apice 5-dentatae, dentibus in sicco sphaecelatis uncinatis.

*T. Baeticus*. — In declivi occidentali collis Cerro Sant-Ana prope oppidum Chiclana locis herbosis humidis satis raro, Febr. c. fl., Mart. c. fl. et fr., et in muris oppidi S. Roque, nec non in fissuris rupium montis Gibraltariici, Apr. c. fl.

Planta sine dubio biennis habitu fere Hyoseridis, Taraxaci s. Asterothricis; sed characteribus affinis Fichteae Schultz, qua vero ut ab omnibus adhuc notis Hyoserideis differt achaeniis biformibus, exterioribus compresso-truncatis. Species biennis videtur, acaulis, glabra, scapo monocephalo erecto spithamaeo, fructifero ultra pedali. Corollae (ex sicco) intense flavae, ligulae exteriorum subtus et limbus omnium 5-dentatus purpurascens. Squamae involucri obtusae, coriaceae, interioris margine membranaceae, exterioris fere triplo breviores. — Folia radicalia numerosa, ad spithamam longa, petiolata, runcinato-pinnatisecta, segmentis ovatis, latioribus, angustioribusve, sinuato dentatis, dentibus divaricatis.

Semina hoc anno (1846) germinaverunt, sed plantae nondum floruerunt.

513. *Linaria viscosa* Dum. Cours. Boiss. 455. — In saxis arenosis aridis collium las lomas del alcornoque dictorum prope oppidum Medina-Sidonia, Febr., et in pineto inter oppida Chiclana et Conil, Martio florens.

514. *Cerastium glomeratum* Thuill. Boiss. 105. — Locis humidis uliginosis en las lomas del alcornoque et in agris desertis humidis inter oppida Medina-Sidonia et Arcos, Febr. c. fl., in umbrosis graminosis collis Sanctae Annae prope oppidum Chiclana et alibi per totam provinciam Gaditanam abundanter. Mart. c. fl. et fr.

515. *Quercus Suber* L. Boiss. 577. — In littorali Baeticae australis silvas format e. g. in las lomas del alcornoque prope Medina-Sidonia. Febr. s. fl. et fr. (Alcornóque Hisp.)

516. *Rhamnus Alaternus* L. Boiss. 128. — In sepibus circa op-